

etum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, *certissime est tenendum* quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedcatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium. » Adeo persuasus erat S. Thomas de necessitate fidei proprie dictae ad salutem! Quare 3) eos qui sine fide damnantur censendum est damnari non propter involuntarium defectum fidei, sed propter peccata quae, spretis gratiis divinis, admiserunt, quaeque poterant, si voluissent, vitare. Hinc 4) ex eo quod fides per totum orbem praedicata non sit nequit inferri nolle Deum hoc medio hominem quemlibet salvari.

« Notum est (ait SS. Pius IX in litteris encyclicis *Quanto conficiamur* 10 Augusti 1863) eos qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant quique naturalem legem eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt: posse divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus qui omnium mentes, animas, cogitationes habitusque plane intuetur scrutatur et noscit, pro sua bonitate et clementia minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat. Sed notissimum quoque est catholicum dogma, neminem scilicet extra catholicam ecclesiam posse salvari. » Quo quidem dogmate praestituto etiam in Allocut. habita 9 Decemb. 1854. advertit idem SS. Pontifex quod qui illud in dubium vocant « percontari saepenumero solent, quaenam futura post obitum sit eorum sors et conditio qui catholicae fidei minime addicti sunt. » Subdit vero « absit ut misericordiae divinae quae infinita est terminos audeamus apponere; absit ut perscrutari velimus arcana consilia et iudicia Dei quae sunt abyssus multa. Quod vero Apostolici nostri muneris est, episcopalem vestram et sollicitudinem et vigilantiam excitatam volumus, ut opinionem illam impiam aequae ac funestae ab hominum mente propulsetis, nimirum quavis in religione reperiri posse aeternae salutis viam... Tenendum quippe ex fide est, extra apostolicam romanam ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus diluvio periturum: sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos huiusce rei culpa obstringi ante oculos Domini. »

Ex disputatis consequitur nullam aliam adstrui necessitatem Ecclesiae quam quae sit necessitas baptismi quo Ecclesiae membra homines fiunt: et quemadmodum baptismus dicitur ab omnibus theologis probante Tridentina synodo sess. VI, cap. 3. necessarius in re vel in voto, ita et necessarium est Ecclesiae membrum esse vel in re vel in voto.

§. VIII.

*Ecclesiam suam ita Christus instituit ut perenniter usque ad consummationem seculi absque ulla substantiali mutatione sit necessario existitura.*

I. Perennitas rei dupliciter haberi potest *contingenter*, et *necessario*. Contingenter permanere dicitur quod ita durat ut sive ratione essentiae suae sive ratione finis propter quem existit nulla sit exigentia suae durationis, ideoque absque ulla contradictione verificari possit eius desitio. E contrario necessario perseverat quod ideo durat quia eius essentiae vel fini repugnat desitio. Necessitas rursus duplex distinguenda: *absoluta*, et *hypothetica*: ea oritur ex ipsis rerum naturis per se spectatis, valetque in quavis hypothesi: haec supponit aliquam contingentem hypothesim qua posita potest aliquid necessario esse connexum cum rei alicuius natura. Hanc alteram vindicamus perennitati Ecclesiae, supposita nempe institutione Christi, quae institutio finem quoque complectitur propter quem a Christo facta est.

Perennitatem Ecclesiae veteres haereses non negarunt. Primi quoque inter Protestantes, teste Bellarmino De Eccl. L. III. c. 13. concedunt Ecclesiam ex lege Dei non posse deficere; licet ipsi de invisibili loquantur quam veram Ecclesiam putant; Ecclesiam vero visibilem sive secundum hanc formam externam et visibilem deficere posse vel obscurari ita ut eius coetus publicus nullus appareat, facile concedunt Protestantes (Cf. Moehler Symbol. L. I. c. 5. §. 34. seqq.), imo defendunt, ut Turretinus Loc. XVIII. q. 9, ut scilicet ita se expediant ab ea quaestione qua urgentur, ubinam ante reformatores fuerit eorum Ecclesia. Inter rationalistas autem, quorum facile principes Sociniani, dogma perennitatis Ecclesiae praecipuos invenit adversarios.

Perennitatem Ecclesiae usque ad consummationem seculi defendimus h. e. usque dum genus humanum in stadio viae degat in terris; absolvendam enim esse aliquando peregrinationem humani generis constat ex Christi verbis praedicens consummationem seculi (Matth. XXIV, 14, XXVIII, 20) quod vel est ipsum humanum genus, vel illud complectitur.

II. Perennitas Ecclesiae demonstratur et ex divinis promissionibus, et ex natura Ecclesiae, et ex eiusdem Ecclesiae constanti traditione. Sane conferantur testimonia Isaiae IX, 6. 7. Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis: multiplicabitur eius impe-

rium, et pacis non erit finis; super solium David et super regnum eius sedebit ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum. Ierem. XXIII, 5. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David (τφ Δαβιδ) germen iustum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra; in diebus illis salvabitur Iuda, et Israel habitabit confidenter: et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster יהוה צדקנו Iave iustitia nostra. Ezech. XXXIV, 22. 24. Salvabo gregem meum... et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascet eas, servum meum David (typice certe accipitur) ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum et servus meus David princeps in medio eorum. Luc. I, 32. Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in Domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis. Patet his primo promitti regnum filii Dei incarnati, regnum cultui divino dedicatum, ex hominibus salvandis collectum, in his terris existens, quae omnia in sola Ecclesia locum habent, regnum cuius non erit finis. Patet secundo significari ibi non solam voluntatem Dei conditionatam, quod nempe semper sit futurum hoc regnum quantum est ex parte Dei, dummodo tamen homines velint, sed significari voluntatem absolutam quae effectum obtineat, efficiendo quod homines velint. Sane primo non decretum solum profertur, sed praedicitur factum futurum; veritas autem praedictionis postulat ut ipsum factum actu sit: deinde promissio fit ipsi Christo, et quod promittitur est ei debitum tanquam merces et praemium eique petenti rependitur (Psal. II, 8; Isaiiae LIII, 10. 11; Luc. XXIV, 25); atqui promissiones huiusmodi sunt absolutae; Christus enim exauditur a Patre (Ioan. XI, 42), ac repugnat promissiones Christo merenti factas frustrari propter voluntates hominum: ergo.

Promissio perennitatis Ecclesiae colligitur quoque ex verbis Domini penes Ierem. XXXI, 32 coll. heb. VIII, 9. et penes Aggaeum II, 7. 8. coll. hebr. XII, 25 seqq. ibi enim oppositio instituitur inter foedus vetus et novum sub hac ratione quod vetus fuerit foedus mobile, novum sit immobile, homines veteris foederis Deus fastidiverit et contempserit, homines novi Deus sibi caritate devinciat: atqui haec oppositio postulat absolutam perennitatem Ecclesiae: ergo.

Item promisit Christus se futurum cum ministerio apostolico usque ad consummationem seculi Matth. XXVIII, 20. Porro promissio Dei his verbis firmata *ego tecum sum, ego ero tecum* in Scripturis significat semper assistentiam Dei cum successu. Phrasid autem ἡ συνθελεια του αιωνως in Scripturis semper finem mundi non aetatis alicuius hominis significat. Igitur hoc apostolicum ministerium futurum est semper efficax. Promisit quoque nunquam praevalituras portas

infernorum contra Ecclesiam suam fundatam supra Petram Matth. XVI, 18, praedixitque praedicationem Evangelii ab Apostolis inchoatam, cum consummatione seculi coniungendam esse Matth. XXIV, 14; futurumque semper permixtum bonum semen h. e. filios regni, cum zizaniis h. e. malis in mundo usque ad adventum alterum sui, in eademque sagena futuros pariter semper bonos et malos pisces Matth. XIII, 24. seq. coll. 57. seqq. et ibid. 47 seqq.: atqui haec actualem perennitatem Ecclesiae praesecerunt: ergo.

Natura etiam Ecclesiae perennitatem postulat, est enim Ecclesia haec in terris degens Sponsa Christi, quam ipse nunquam odio habebit (Ephes. V, 23. seqq.) est corpus Christi (1. Cor. XII, 12 seqq.) vivens Spiritu Christi qui semper erit cum Ecclesia (Ioan. XIV, 16. Isaiiae LIX, 21). Praeterea est institutio necessaria omnibus pro assequenda salute qui ab ipsa et per ipsam adunati sunt Christo; quaeque, si aliquando deficit, reparari nequit, cum iugi successione ministerii necessario contineatur, ut inferius declarabitur: ergo.

Traditionis testimonia opus non est congerere, satis enim patet professio communis et constans Ecclesiae ex professione fidei in Symbolo: *credo sanctam Ecclesiam catholicam*, quae professio perpetua est et quam semper veram fore est semper creditum: falsa autem evaderet si aliquando Ecclesia deficeret.

Cum Ecclesia perseveratura semper sit, oportet ut secundum essentiam talis perseveret qualem Christus instituit; non perseveraret autem talis si mutationes substantiales admitteret: ergo. Et re quidem vera quaecumque sunt substantialia Ecclesiae obiectum sunt revelationis et continentur deposito fidei; unde nequeunt ea mutari quin ipsum depositum fidei mutetur; atqui hoc immutabile permanebit semper: ergo nec mutabuntur unquam substantialia Ecclesiae. Maior patet; minoris probatio petenda est ex Tract. de Traditione.

III. Perperam autem ab adversariis provocatur ad verba Christi Matth. XXIV. 10. 12. *Tunc scandalizabuntur multi, et refrigescet caritas multorum*; nam 1. si quid ea probarent, non perennitati, sed amplitudini Ecclesiae adversarentur: 2. nec amplitudini adversantur, quia caritas non est necessaria ut quis sit Ecclesiae membrum. Perperam quoque provocatur ad verba Christi Luc. XVIII, 8: *Verumtamen filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* nam et reapse nihil affirmatur, sed dubitantis in speciem haec profert Christus, qua loquendi ratione difficultas rei significatur; et praeterea terra, de qua haec est sermo, non est universa terra, aut saltem id certum non est, sed particularis, scilicet Palaestina. Ἀποστασια vero, de qua 2. Thessal. II. 3, non est discessio omnium hominum ab Ecclesia, nec plurimorum, sed, ut probabilius censemus, est apostata-

sia societatum civilium prout tales sunt, seu potestatum civilium a Deo et Ecclesia cuius institutis non amplius regantur, sed potius adversentur statum ἀθέου proclamantes; quam apostasiam oculis nostris usurpamus.

Absolutum autem decretum Dei ut Ecclesia perennis sit non adversatur libertati hominum. Ope enim scientiae mediae potest Deus eum ordinem eligere et efficaciter statuere in quo homines libere quidem illud tamen velint quod Deus vult. Cf. quae diximus in Instit. Philos. Theol. Th. XLVI. p. II.

§. IX.

*Ecclesia idcirco definiti realiter potest: regnum Christi in terris auctoritate apostolica regendum.*

I. Ex vaticiniis V. F. et N. F. testificatione constat quod Christus sit habiturus regnum in terris. Sane conferantur testimonia primo loco recitata ex Scriptura sub §. VIII. Ibi manifestum est appellari Christum regem et exhiberi cum characteribus veri regis, cuiusmodi sunt sedere super solium, pascere populum, facere iudicium et iustitiam, imperiumque habere. Manifestum est pariter ibi sermonem esse de regno in terris, h. e. inter homines mortales; nam id diserte affirmat Ieremias I. c. atque id exigitur a functionibus huius regis, quae sunt facere iudicium et iustitiam, atque a formula typica qua repraesentatur, nempe quod hic rex sessurus sit super solium David.

Huiusmodi autem regnum est prorsus aliud a regnis huius terrae quae a natura originem et vim habent, est scilicet regnum supernaturale. Id ipse Christus testatus est dicens: Regnum meum non est de hoc mundo, Ioan. XVIII, 36; originem nempe habet e coelis, h. e. a libera et supernaturali Dei institutione. Et sane ut ex testimoniis patet ad quae antea provocavimus, regnum hoc eo spectat ut Dominus sit Deus iis qui subditi sunt huius regni, h. e. ut Deus colatur, ut iustitia et pax sit in terra, ut homines salventur: porro cultus divinus, iustitia, pax, hominumque salus, de quibus sermo est in scripturis, et quae per Christum Deus hominibus procurat, sunt res supernaturales ad sanctitatem aeternamque gloriam spectantes.

Tandem haec dignitas regia Christi alia est ab ea quam tanquam Deus habet et habuit semper in homines ratione dominii supremi in omnes creaturas. Hac enim Christus refertur ad eos qui ipsi speciali habitudine subordinantur, qui nempe eum colunt ei credentes: quocirca fundamentum huius regiae dignitatis non est simpliciter creatio, sed ea supposita est proprie redemptio, quae ad ordinem spectat supernaturalem.

Iam vero hoc regnum non est nisi Ecclesia ab ipso Christo instituta. Nam vel nullum est huiusmodi regnum Christi in terris contra absolutas (cf. §. VIII.) promissiones Dei, vel est Ecclesia ab eo instituta; nullum enim aliud excogitari potest, et in ea omnes conditiones huius regni reperiuntur. Sane est regnum Christi quia per ipsum ea existit ab ipso instituta, quia eius auctoritate regitur quam ipse instituit, quia omnia proinde Ecclesiae membra Christo ut supremo Principi obediunt eius reverentia potestatem et voluntatem; quia Ecclesia eo spectat ut sanctitas et salus hominibus procuretur quam Christus sanguine suo omnibus promeruit; quia in ea Christus per suos ministros regias omnes facultates regis supernaturalis exercet ligando et solvendo, docendo et sanctificando. Quocirca Ecclesia Christi frequenter in Evangeliiis vocatur Regnum caelorum.

Itaque Ecclesia est certe regnum Christi in terris: quia vero Ecclesia regitur auctoritate apostolica, ea nempe quam Christus primum Apostolis contulit, quaeque perpetua successione in Ecclesia perenni (§. VIII.) continuatur, quam auctoritatem Christus instituens ipsam Ecclesiam instituit (§. II.); Ecclesia est ergo regnum Christi, quod regitur apostolica auctoritate.

II. Quaestio vero fieri potest an haec sit essentialis definitio Ecclesiae, definitio inquam completa. Ut essentialis definitio sit completa, debet eas notas essentialis rei fundamentales complecti ex quibus cetera quae rei propria sunt derivari possint. Iam vero facile constat his duabus notis quae sunt regnum Christi, et regimen auctoritatis apostolicae, omnia contineri quae propria sunt Ecclesiae. Nam ut summatim dicamus: quae Ecclesiae propria sunt, vel sunt interiora dona sanctificantia sive incomplete sive complete, et ad sanctitatem conducentia, vel sunt exteriora: priora tum eo continentur quod Ecclesia sit regnum Christi Salvatoris nempe humani generis, regnum nimirum iustitiae et sanctitatis, tum eo quoque continentur quod Ecclesia regatur apostolica auctoritate, quae ad summationem sanctorum est instituta: alia vero quae extrinseca sunt, quaecumque Christus in Ecclesia sua voluit esse ex auctoritate apostolica Christi regis vicaria dependent debitaque illi auctoritati subordinatione; ab auctoritate enim qua universa societas regitur, et per quam ipsa societas existit, cuiusmodi est auctoritas supernaturalis apostolica vicaria Christi, dimanant omnia iura et omnia essentialia societatis.

III. Neque haec definitio differt a communi tradita a Bellarmino (cf. §. XI. n. 4.) nisi quod illa sit explicatior: auctoritas enim apostolica est auctoritas perseverans in Episcopis et praecipue in Romano Pontifice successore Petri, cuius auctoritas plena semper viget in ca-

theda apostolica, ut postea videbimus: professio vero eiusdem fidei, ac communio eorumdem sacramentorum et subordinatio legitimis pastoribus iam continentur in eo quod dicitur regnum rectum apostolica auctoritate, quae est auctoritas docendi, sanctificandi et regendi, exigitque debitam subiectionem, quae si ab omnibus eidem auctoritati deferatur ut in regno fit, unitas certe et communio obtinet.

Id tamen habet speciale definitio quam proponimus, ut praesentem sistat ipsum Ecclesiae supremum caput qui est Christus, fundamentalemque habitudinem Ecclesiae ad Christum exhibeat in eo sitam quod ipsa sit regnum Christi.

§. X.

*Ecclesia Christi est societas hominum ex essentia sua visibilis: quocirca non duplex est Ecclesiae forma, altera invisibilis, visibilis altera, ita ut priore essentia Ecclesiae contineatur; sed una est Ecclesia essentialiter visibilis, verbumque Dei pervertunt Protestantes cum duplicem formam Ecclesiae secernentes, soli Ecclesiae sub forma invisibili existenti praerogativas verae Ecclesiae competere contendunt.*

I. Ut Ecclesia visibilis sit requiritur primo ut visibiles sint personae ad eam spectantes, ritus quibus sociantur, ministerium quo reguntur, et huiusmodi. Haec est *visibilitas materialis*, sed non sufficit. Requiritur enim secundo ut videatur et innotescat has personas hos ritus hoc ministerium et huiusmodi esse ipsam Ecclesiam, ut possit intelligentibus veluti digito demonstrari: *haec est Ecclesia Christi*. Haec dicitur *visibilitas formalis*, quia non videntur tantum ea quibus Ecclesia constat, sed ipsa societas sub ratione talis societatis videtur. Sic videtur regnum quodvis civile. Iam vero visibile proprie dicitur quod sub sensum oculorum cadit; sed latiore etiam significatione adhibetur, ut sit id quod sub alios quoque sensus cadit; hunc latiore sensum non excludimus nunc. Porro duplici modo potest aliquid visibile dici: *immediate* nempe et *mediate*. Immediate, quod per se sensus attingit; mediate, quod inest illi quod sensus attingit, et per ea quae sensus attingit ab intellectu in illis videtur. Prior dici potest *visibilitas sensibilis*, altera *intelligibilis*: ea materiali, haec formali visibilitati respondet. Exempla prostant in omnibus: sic dicimus nos videre naturas corporeas, videre homines. Unde cum aliquod subiectum ex duplici elemento constat, quorum alterum sit per se immediate invisibile, si hoc alterum tamen sit per aliud mediate visibile visibilitate intelligibili, totum illud subie-

ctum dicitur et est simpliciter visibile: ut homo. Iam vero cum Ecclesiae visibilitatem vindicamus, non aliam aut maiorem asserimus visibilitatem quam ea sit quam omnes humanae naturae concedunt.

Quoniam visibilitas intelligibilis complectitur elementa quaedam quae per se propria sunt rationis, distinguendum est inter id quod ratio vi sui luminis naturalis intelligit, et id quod intelligit lumine fidei. Strictè enim *visum intelligibiliter* appellatur id cuius intellectus per se cognoscit existentiam et rationem intrinsecam cur sit, ut subiectum hoc esse hominem: sic enim visio intellectualis opponitur obscuritati fidei.

Quoniam Protestantes in visibilitate distinguunt gradus, monemus eam visibilitatem proprie dici qua res sit conspicua et *discernibilis ab aliis*; neque enim licet visibile illud dicere quod nequis videre; nequis autem videre Ecclesiam si ita obscurata est ut eam ab aliis coetibus nequeas discernere. Imo talem asserimus necessariam Ecclesiae visibilitatem, quae hoc iudicium cum certitudine determinare valeat: *haec est vera Ecclesia*. Huc enim spectat visibilitas Ecclesiae, ut homines certi sint quinam sit coetus cui adiungi debent pro salute aeterna consequenda. Visibilitas ergo verae Ecclesiae est *certa manifestatio* verae Ecclesiae.

Nihil impedit quominus id, quod visibile est, sit quoque obiectum fidei: nam primo idem pluribus diversis motivis cognosci potest; et ita fide credimus existere mundum corporeum, hominesque constare ne dum spiritu sed et corpore, et simul utrumque intelligibiliter videmus; sic ergo existentia quoque Ecclesiae videri et credi poterit. Secundo, aliquid potest sub una quidem ratione videri, sub alia vero apprehendi intelligentia fidei; ita baptismus et videtur et creditur; videtur ritus exterior, creditur ratio Sacramenti ac divina institutio illius ritus. Ita Ecclesia videri potest tum immediate tum mediate quoad personas, ritus, socialem communionem, easque dotes quae soli verae Ecclesiae competant, simulque credi potest tum eius divina institutio, eademque perpetua, tum intrinseca dignitas supernaturalis eiusdem ac necessitas et efficacia ad finem consequendum cum suis ceteris praerogativis. Sed de hac re inferius. Atque haec de modo visibilitatis.

II. Cum quaestio instituitur de visibilitate Ecclesiae, attingitur quaestio de constitutione essentiali eiusdem: nimirum utrum ad essentiam Ecclesiae pertineat aliquod elementum per se interius et invisibile, puta fides interior. Qui enim negant necessariam esse verae Ecclesiae visibilitatem, eo moventur quod Ecclesia sit coetus membrorum Christi vel iustorum vel saltem credentium, iustitia vero et fides invisibiles sunt, nec per exteriores actus certe manifestantur; nam hi ex hypocrisi esse